

Franciscus Ciapponi et Soc.

OFFICINA

ANAGLYPTIS, GEMMIS CONCHISQUE

CAELANDIS

PRAESERTIM IN REDDENDIS FIGURIS

PHOTOGRAPHICE EXPRESSIS

Diligentia in opere.

Temperantia in pretio.

ROMAE, Via Sistina, 129

Gulielmus Gaudenzi

ROMAE

Tor Sanguigna, 2-3 - Via Coronari, 1

cuique suppeditat coronas, numismata, Christi crucifixi effigies, Sanctorum imagines tum insculptas tum omnibus modis impressas, metallis caelata opera ad sacra vel ad reliquias reponendas, pietatis libros, omniaque in Puellarum Mariae usum; pulchrarum artium specimina, musiva, caelatas sculptas gemmas et similia; quorum maximum apparatus possidet.

Gallice atque Hispanice loquitur.

Diversorium magnum, cui a Minerva nomen (^{Grand Hôtel} de la Minerve)

ROMAE, Piazza della Minerva

Diversorium inter optima Romae, in Urbis centro, recens omnino instauratum et commodis omnibus instructum.

 Sacellum pro Sacerdotibus ad sacra litanda 

LEOPULDUS SCOTTI, moderator.

SUPELLEX
AD RES DIVINAS

Commentarii Vox Urbis administratio recto tramite suppeditat suppellectilem omnem, qua tum in templis, tum in oratoriis ad res divinas uti solemus.

Mandata ad Vocis Urbis administratorem (Romam, Piazza del Gesù, 48) mittantur, res praecise indicando quas quisque sibi cupit.

Gratuito sumptuum aestimatio fiet.

Apud Comm. VOX URBIS administratorem (Romae, piazza del Gesù, 48) quae sequuntur opera venundantur, per Commentarii ipsius paginas iam vulgata:

PETRI ANGELINI Lollius sive *De provecta latinitate.* — Ven. lib. 1,50.

Fabulae selectae Ioannis La Fontaine latine conversae a FRANCISCO XAVERIO REUSS, C. SS. R. — Ven. lib. 1,25.

Saturio. Comoedia latinis versibus conscripta a IOANNE BAPTISTA FRANCESIA. (In ludis litterarum optima tironibus scenice agendi exercitatio). — Ven. lib. 1.

VOX URBIS

DE LITTERIS ET BONIS ARTIBUS COMMENTARIUS

Semel in mense prodit

Pretium annuae subnotationis, *ante solendum*, est:

In Italia: Libellarum 6;

ubique extra Italiam: Lib. 9 (Doll. 1,80; Sh. 7; M. 7; Rubl. 4; Coron. 9)

Cuncta mittantur ad ARISTIDEM LEONORI equitem

Commentarii VOX URBIS possessorem et administratorem

ROMAM - Piazza del Gesù, 48 - **ROMAM**



Subnotatio fieri potest:

IN GALLIA

apud

Librairie Gamber

IN ANGLIA

apud

Burns and Oates

IN RUSSIA

apud

Gebethner et Wolf

IN CANADA

apud

Librairie Granger Frères

Paris

Rue Danton.

London W.

28, Orchard Street.

Kronika Rodzinna,

Krakowskie Przedmieście, 6.

Montreal

1099, Rue Notre-Dame.

T. et G. Fratrum Parisi
 ROMAE in ITALIA
 in foro Campi Martii, 6



**PONTIFICIA OFFICINA
CANDELARUM AD SACRA**
 cui Summi Pontifices PIUS IX, LEO XIII, PIUS X
 honores addidere

*Candelae ad Sacra in Americas, in infimam Africam, apud Indos, Sinenses, Iaponios
atque in Australiam exportantur.*

Vincentius Rigacci
 officinae conditor
 an. 1780.

*Novarum earumque latissimarum aedium prospectum damus, quas Fr. Parisi ad Can-
delas ad Sacra cereasque faculas ad noctem fabricandas recens in Urbe a solo excitarunt,
et cuique visitandas praebent per tesseram gratuito apud ipsorum centrale officium, Romae
in foro Campi Martii, 6, potentibus distribuendam.*

*Candelarum «tipus oeconomicus» perfectae exustionis venit lib. (francs) 225 cen-
tensis Kgr. — Merx nullo iubentis impendio in omnes orbis portus mittitur, dummodo tre-
centis saltem cerae Kgr. constet.
Colligationes ab officina Parisi adhibitae eae sunt, quae deserti traiectionem in camelorum
dorso (viginti dierum iter) facilime perferant.*

Commercium epistolare habetur Italica, Latina, Gallica, Anglica, Theutonica, Hispanica lingua.

Ann. XII.

ROMAE, Kal. Martii MDCCCCIX.

Num. III.

VOX URBIS

DE LITTERIS ET BONIS ARTIBUS COMMENTARIUS

Rerum index:

- PIO X Pont. Max. in Festum nominale Sancti Iosephi, die XIX
 mens. Martii MCMIX.
 De humanorum litterarum neglectu.
 De re litteraria apud Subalpinos. — De eloquentia: Urbanus Ra-
 tazzi.
 De terrae motu.
 Pontifici Collegi Armeniorum de Urbe XXV anniversaria dies.
 Ex Brasilia: De Brasiliensium civitatum omnium artium recensione
 Fluminis Iannarii ad urbem.
 Colloquium latina. — Colloquium in schola.
 Paroemias sive Adagia: Laureum baculum gestare. — Graviora Sam-
 bico pati.
 Acta Pontificia.
- Ex SS. Congregationibus Romanis sententiae novissimae se-
 lectae.
 Diarium Vaticanicum. — Coram SSmo admissiones. - Pontificiae electio-
 nes. - Vita functi viri clariores.
 Annales. — Balkanica res. - Germanorum feriae. - Persarum sedatio. -
 Manritana res.
 Publici per orbem costus legibus ferendis.
 Per orbem.
 Ioci.
 Libri recens dono accepti.
 Aenigmata.
 Aegyptii. — Caroli M. Rosinii Comoedia. (Recognovit L. F.).
 Epistolarum commercium.

PIO X PONT. MAX.
 IN FESTUM NOMINALE SANCTI JOSEPHI
 DIE XIX MENS. MARTII MCMIX

*«Ite», — ieunios Pharaon monebat
incolas Nili, — «properate, quotquot
estis, ad Ioseph: famis ille dirae
spectra fugabit».*

*Alter en Ioseph Italos, recenti
clade percusso, foveat erigitque;
occupat Petri solium, Piusque
iure vocatur.*

*O dies longo recolenda fletu,
qua fremor terrae mariumque fervens
ira Messanam Calabrasque passim
diruit urbes!*

*Nox erat, cunctos sopor obtinebat,
quam repentinus quatit horror aedes;
mille iam rimis violata nutant
tecta, ruuntque.*

*Exstis immensus subito ruinis
clamor, et nubes ferit eiulatus;
tum silent, aut vix sonuere raro
rudera questu.*

*Nempe milleni periere primo
incolae flictu: prius interempti,
quam mori sese potuere pulso
noscere somno.*

*Ceteri, fractis mutilisve membris,
mole sub vasta lapidum latescunt:
squalidis clausi foveis, et ante
funus humati.*

*Iam quis in caecas penetret, Deoque
cognitas uni, latebras domorum?
Quis piam vivis det opem? sepultra
quis pia caesis?*

*Spem sed oppressi refineat cives:
fert opem Samnis, Venetus Ligurque;
parque vestrates ciet advenasque
pectoris ardor.*

*Perdius, pernox cava lustrat antra
ruderum fossor: sibi nil timere
visus, hoc unum sitiens: saluti
reddere fratres.*

*Advehunt vestes Cereremque nautae,
vixque lignorum, nova queis struantur
tefa; solatur medicus, sacerdos
corpora, mentes.*

*Tu praelis cunctis, Pie, largitate,
Iaefus immensis opibus iuvare
pauperes, pauper: Pater orphanorum
dictus et Altor.*

*Vive, dilectus populis Deoque,
sospes in longos, bone Pastor, annos;
nec tuum quisquam male gratus inde
laedat amorem.*

Franc. X. Reuss.



DE HUMANIORUM LITTERARUM NEGLECTU

Mirari plerique solent, quonam improbo litterarum fato contigerit, quod tametsi hoc aevo hominum ingenia nihilo, quam antiquitus, deteriora sint, imo saepe et in multis praestantiora esse videantur, nemo tamen exsistat, qui cum sapientissimis illis litterarum parentibus, qui olim floruerunt, de ingenio doctrinaeque laude contendere audeat. Nonne, inquiunt, in gravioribus magisque arduis disciplinis solertia veterum ingeniumque aetas nostra non aequavit modo, verum etiam lateque superavit? Recentiores percurrite philosophiam: quot doctrinae solidioris in ea progressus! quot novae hypotheses limatiore iudicio elaboratae, validoque rationis et experientiae praesidio communitae! quot naturae reconditionis arcana, quorum caussae omnium opinione difficillimae, imo humano ingenio prorsus imperviae esse censebantur, instituta recens philosophandi ratio acute penetravit, clarissimeque detexit! Mathematicis vero atque physicis disciplinis quantum splendoris atque amplitudinis ex singulis fere aetatibus, praesertim vero nostra accessit? Praeterea iuniorum solertia quam rem medicam progressu non poenitendo ampliaverit; quumque rei civilis et militaris scientia complures memoria nostra inclinarerint, qui veteranum gloriam fortitudine, consilio rebusque gestis facile superarunt; qua ratione contigerit esse neminem, qui literarum fama et eruditionis laude antiquitati palmarum praeripere audeat; sed satis sibi gloriae ducat, si multo sudore multisque vigiliis eo tandem pervernit, ut ab antiquorum praestantia non longissime abesse videatur? Adeone deterior litterarum conditio,

ut in tanta ingeniorum ubertate ceterarumque disciplinarum progressu, illae propemodum destitutae iaceant, ac ne passum quidem progrediantur? Ego sane fatalem huiusmodi litterarum calamitatem duplii caussae potissimum tribuendam esse iudico; et quod studio industriaeque maiorum longe impares sumus, et quod longissime ab optima studiorum ratione recessimus. Cui duplii litterarum infortunio, ut aliquo modo, si fieri possit, occurratur, constitui brevi hic utrumque oratione persequi, et utrumque ea, qua potero, industria, studiosae iuventuti praecavere.



Et quidem ad ea semper maiore animorum contentione incitamus, quae pluris facimus, impensisque aestimamus. Pulcherrimas res atque optimas nullo frequenter studio prosequimur, non quod illae vera negligi dignae sint, sed quod nobis negligendae esse videantur. Neque enim tantum ab ipsa rerum pulchritudine ac dignitate, quantum ab earum opinione atque aestimatione movemur. Quamobrem quum litteras Maiores nostri in eo pretio ac dignitate semper habuerint, ut in ipsis maximum vitae ornatum, ac summum Reipublicae bonum situm esse putarent, mirandum non est easdem tam singulari amore ardente studio completerentur. Vehementius illi plane litterariae dignitatis famam deperibant, quam ambitiosissimus quisque fasces, consulatus, imperium: parandaeque sibi eruditioni acrius insudabant, quam avari homines pecuniae fortunisque augendis. Postremo magis illi fere de litteris, quam nos de aris focusque tutandis, solliciti. Ex quo ingenti erga litteras studio fieri solebat, ut omnibus aliis abdicatis

*Saucis per te patuere et aegris
hosptiae sedes, ubi vis medendi
efficax regnat, vigil et sacrarum
cura sororum.*

*Hac uti posses stipe copiosa,
Pontifex, tantas recreare turbas,
caritas tecum pia christiani
praestitit orbis.*

ex animo curis, in hanc unam incumberent, et in hanc veluti metu industriae nervos infenderent. Quocirca incredibile nemini videatur, eos tantopere litterarum amore succensos, ceteris sibi voluptatibus interdixisse, rei familiaris curam interdum etiam abiecssisse, somno, cibo potuque frequentius abstinuisse, quo celerius ad earum gloriam assurerent. Non ignorabant siquidem viri prudentissimi labore minime vulgari venalia esse eruditionis ac litterarum praemia. Non ignorabant ad litterarum studia aequae illud pertinere, quod de philosophia omnium ore percrebuit, postulari videlicet totum hominem. Hinc Cicero, homo plane ad eloquentiam et eruditionem factus, quum diligentius caussam requireret, cur in tantis eloquentiae praemiis tantaque gloria, pauci tamen reperirentur, qui in eius laude proficerent, opportune docuit, hanc esse praecipuam, quod ea studiorum genera omnem sibi animum omnemque sollicitudinem vindicarent. Omittendae sunt, inquit, omnes voluptates, relinquenda studia delectationis, ludus, iocus, con vivium, sermo etiam pene omnium familiarium deservendus.

Quae quidem ne cui ad amplificandam litterarum famam magnifice enunciata esse videantur; cogitemus, quaequo, quot quantaque caelo, terra marique occurrant, quorum cognitio non levis ac perfunctoria, sed plena ac bene subacta ad eos necessario pertinet, qui in eiusmodi disciplinis laudem aliquam assequi meditantur. Quanta enim fabularum eruditio! Quanta poetarum, aut carminum varietas! Quanta historiarum rerumque ab orbe condito gestarum series! Haud parum certe negotii facessit tot auctorum plenam solidamque cognitionem consequi, et tam multiplex dicendi genus probe accurateque di gnoscere posse, ac distinguere. Alii siquidem in dicendo robusti, ac nervosi: alii molliores et magis ad elegantiam proni. Hic festivitatis et leporis plenus; acrius ille probat, urgetque efficacius. In hoc phrasis terfa, facilis, non affectata, maximam spirans suavitatem. Sublimior in alio, succo plenior, totaque ad gravitatem plane senatoriam composita. Praeterea quum omnes artes, - ut ait praecclare Tullius, - quae ad humanitatem pertinent, habeant quoddam commune vinculum, et quasi cognitione quadam inter se continantur; dubitari minime potest, quin nulla sit scientia, aut ars liberalis, cuius cognitione aliqua tinctus esse non oporteat, qui ad litterarum et eruditionis gloriam contendit. Si quis enim dialecticam, mathematicam, ethicam, politicam aliasque philosophiae partes, ne longe quidem a vestibulo salutaverit, non modo de tot tantisque rebus, quarum notitia ab iis fontibus haurienda est, neque unum verbum facere audebit, sed neque plene intelligere poterit poetas ipsos, oratores, aut historicos in eo disciplinarum genere praeclarissimos. Quis enim Pli-

nium, Plutarchum, Quintilianum, aut Virgilium ipsum tam multa de physica, multa de geographia, ac de astronomia multa subtiliter solideque pertractantes intelligat, qui nondum primas earundem disciplinarum lineas duxerit? Necessa erit profecto in evolvendis huiusmodi libris, tanquam ad scopulos passim haereat, vel saltem ita balbutiat, ac si sphingem aliquam offendisset, aut monstra immania enuncianda essent.

Quae quidem omnia quum sudorem industriaeque exigant et maximam et diurnam, mirandum non est, veteres tam assiduo ac pertinaci labore in litterario pulvere desudasse. Intelligebant illi plane nullam sapientiae viam esse imperviam, si conatus accessisset ac labor, qui improbitate sua omnia vincerit. Intelligebant in arduo montis domicilium habere musas; verum eo quoque industria volari posse, si aliter perveniri non possit. Quum itaque experientia didicissent magistra id, quod Graecus ille Metrocles sapienter dictabat, nimur res alias omnes emi posse pecunia, litteras vero tempore: nihil erat omnino, quod tam accurate ac tam religiose servandum esse putarent, quam tempus. Hinc vel exiguum diei particulam per otium desidiamque traducere, impendium omnium gravissimum censebatur. Ac proinde ne momentum sibi otiose unquam efflueret, quod potui, quod cibo, quod itineri tribui necesse esset, cum aliquo eruditionis studio coniunctum esse volebant. Quandoquidem ex Plutarcho accepimus, eam fuisse maiorum consuetudinem, ut quum lectica iter agerent, aut recitante aliquem audirent, aut nonnulla sibi ex lectione adnotarent, aut etiam non raro aliis dictando, non tam tempus, ut poetae loquuntur, fallerent, quam traducerent fructuissime. Hinc memoria proditum est, illum promum condum universae eruditionis, quem nulla unquam silebit posteritas, C. Plinii, severo rigideque ne potem suum obiurgasse, quod illum, omissa lectica, vidisset deambularem. Poteras inquit, has horas non perdere. Tanti scilicet putabant studiosissimi viri, vel minimi temporis habere rationem; illud totum periisse rati, ex quo sibi aliquis sapientiae proventus non accessisset.

At nos, - (pudet me, magnopere pudet projectam temporum nostrorum ignaviam cum indomita maiorum diligentia conferre) - nos, inquam, quibus, ut Seneca dolebat vehementer, tempore nihil est vilius, illud partim tuendae plerunque accuratius, quam par est, valetudini, partim somno, partim conviviis, et similibus effundimus liberalissime. Ac deinde quod aulae officiis, quod voluptatibus, quod ludis, quod avaritiae, aut ambitioni superest tempus, in litteris et eruditione reponimus. Non est ergo cur miremur, maioribus nostris tanto inferiores non esse doctrina, qui tantopere infra ipsos sumus laborandi studio.

Merito ab eorum gloria tam longe aberramus, quorum non imitamur industriam: quam revera imitandam sibi unusquisque proponeret, si quod erga litteras studium in nobis reliquum superesset. Sed relanguit iampridem, relanguit in plerisque hominum amor erga optimas disciplinas. Restinctus est omnino vetus ille ad honestas artes ardor animorum atque contentio. Inveteravit enim iam opinio quaedam, non modo litteris humanioribus perniciosa, verum etiam doctrinae omnis ordini maxime periculosa, in hoc studiorum genere nihil gloriae, nihil divitiarum esse sperandum. Ac proinde non sine gravissimo animi dolore, quotidie videmus adolescentes egregia indole, ingenioque praestantes, vix delibatis grammaticae rudimentis, vix rudioribus subanditis ex dialectica vocibus, statim caeco quadam impetu ad Hippocratis aphorismos, vel ad Iustiniani codicem propare; illie tantum gloriae, illic divitiarum certissimam spem propositam esse dictantes. O praeclarula sciolorum consilia! O praeceptorum aetatis nostrae sapientiam!

Non desunt tamen fausto alite adolescentes optimi, qui cum praestantia ingenii animorum ardore coniuncto, sapientiam impensis amant, et in delicis et amoribus habent honestissimas disciplinas. Non desunt, neque deerunt unquam viri clarissimi de litteraria republica optime meriti, qui litteras per omnem aetatis gradum ita coluere, et colunt, ut ad eas sustentandas atque ornandas omnino nati esse videantur. Hi quidem - fides est - rem servabunt.

P. LUCENSIS.

DE RE LITTERARIA APUD SUBALPINOS

DE ELOQUENTIA

Urbanus Ratazzi.

Angelum Brofferio sequitur Urbanus Ratazzi, non modo quod suppar aetate ei fuit, sed quod pari animi cupiditate pro libertate sub principatu dimicavit.

Natus honesto loco Alexandriae Statiellorum pri-
mum inclarnuit in foro Casalis Sancti Evasii, ubi
causas actitavit. Sub ipsa paterna potestate rebus
publicis studere didicit, eiusque totum se devovere
coepit. Omnia iam Subalpinis abunde suppeditabant,
quibus ad gloriam homines grassantur, et omnes summa
ope elaborabant ut insitam vim ad patriae decus
et civium prosperitatem expromere possent.

Attamen quum primum, auctore Carolo Alberto
rege, in Subalpinis facta sunt comitia oratoribus pop-
ularibus eligendis, Urbanus, qui virtute ingenii atque

audentia omnes superare aequales videbatur, cun-
ctis civium suffragiis eligitur. Hinc nova ei munera
palaestra patuit. Namque statim in illa nova
temporum conditione, quum nonnulli rerum expertes
sine ratione et sine disciplina, in eloquentium nu-
merum in popularibus comitiis advenirent, Urbanus
elegantiori arte exornatus, magno verborum nitore
atque sententiarum altitudine, et in primis ingenii
subtilitate, inter primos recenseri promeruit. Eius an-
tem eloquentia multis iam argumentorum luminibus
decorata, non modo ob fucatum quemdam communis
utilitatis amorem doctioribus adprobabatur, sed maxi-
mis admodum fiebat, quod pullatam plebeculam do-
ceret, vehementiores populi cupiditates regeret, atque
arrepta occasione, sapientiae anctoritate ac rerum
usu admirabilis, viros, quibus tunc universa res per-
mittebatur in officio scite contineret, et ius suum
unicuique reddendo, universae reipublicae aequa po-
testate moderari videretur.

Ilico complures hunc tamquam principem sequi-
statuerunt, eiusque consilium strenue amplexari. Quo
facto, in maximis illius temporis asperitatibus, pri-
mus e plebe inter administratos cum sociis recensetur.
Nec sane absurdum, quod in illis rerum adiunctis,
quum res publica civilibus fluctibus iactaretur, ma-
xima laus indicabatur nullum hominum fastidire ge-
nus, sive popularis erat, sive nobilis, in quo dum-
modo emiteret virtus, eo quod ita crevisse imperium
romanum per compita passim praedicabatur. Dolen-
dum maxime quod illa potissimum aetate a nonnul-
lis, quos repentinus dixerim, malarum rerum auda-
cia, ut Sallustii verba mutuem, fortitudo vocetur.
Ratazzi enim incaute sane quum necessitas, populi-
que desiderium ad pacem compelleret, ex improviso,
malo libertatis desiderio abreptus, iterum parare arma
adversus Austriacos regem monuit, atque in ea
cura et cogitatione totus versatus est, donec ad Nov-
ariam infeliciter pugnatum est decimo kalendas
Aprilis an. MDCCXXXIX.

Haec tetrica clades, qua multi perierunt, et
rex imperio se abdicavit atque in exilium voluntarium
abiit, ei omnino fuit accepta referenda. Tunc rei-
publicae administrationem reliquit, sed aequo animo,
magnis illis temporibus pari, adversariorum odium
toleravit, quos monitos voluit haec propemodum ac-
cidisse in omnium commodum. Ego enim multa le-
gendo, atque audiendo comperi omnia regna, civi-
tates, nationes usque eo prosperum imperium ha-
buisse, dum apud eos vera consilia valuerunt (1).

Urbanus hic vero etiamsi esset a reipublicae
administratione liberatus, haud esse desivit partis
suae caput et duxit illustris.

Venit quum primum adparuit sagax ille homi-
num interpres atque magister, comes Camillus a Ca-

(1) SALL. Orat. II ad Caesarem de Republ. ordinanda.

vour, qui maxima pars est rerum quae mox totam
Italiam ad novitatem commoverunt, eamque in aliam
formam fixerunt, ipse ad eius latera stetit et ver-
bis, consilio et opere eum adiuvit. Et semper in po-
sterum intrepidis rebus fuit patriae perfugium se-
curum.

Utinam vero mens eius fuisset sanctis Ecclesiae
iuribus devota! At ille magnis eloquentiae viribus
inter cetera quae in Ecclesiam audacter suscepit,
primus in Subalpinis contra religiosas societas
acris dimicavit, et auctor fuit ut regno expelleren-
tur. Quum in urbe de Roma vi adempta atque ho-
stilibus armis sermo fuit, ipse qui semper voluisset
hunc rerum ordinem sponte ac libera civium volun-
tate adipisci et non infestis animis, causam acerrime
apud populares oratores propugnavit. Quod mirum
visum est omnibus, et multas eius auctori laudes
promeruit.

Eius dicendi genus semper fuit in verborum splen-
dere elegans, compositione aptum, facultate copio-
sum, eaque erat quum summo ingenio tum rerum usu
atque exercitationibus maximis consecutus.

Post Camillum a Cavour primus apud populum
orator fuit, et sagacior in dies atque prudentior eva-
sit. Sed tandem aderat alter qui non fuit e multis,
sed, ut ita dicam, potius inter multos prope singu-
laris. Namque oratorum princeps apud Subalpinos
facile habetur Camillus Benso a Cavour, quem supra
nominavimus, quique attamen loquentiae potius quam
eloquentiae magister fuit atque iucunditatis plenus et
gratiae, variisque figuris et verbis felicissime audax.

SUBALPINUS.

DE TERRAE MOTU

« Rerum domini sumus ». Ita saepe aequales nostri
plenis buccis intonant. Quam vero ridicula haec sit
vox facile dictu est. Num vel unum gradum frigoris,
quo hodie ambulanti facies contrahitur, imminent?
Staret Messana urbs, homines obruti viverent, nisi
existeret dominis rerum istis potentior. « Antiqua
res religio est et mulieribus apta; physicorum est
persequi rerum immutabilium leges, mundi angulos
perscrutari; qui hac aetate Deum colunt, rerum natu-
ram ignorant ». Quasi vero qui non colunt, naturam
haberent exploratam! Inventa est machina vaporaria,
electrica vis est ad hominum usus deducta: sed quaere
aliquando ex eis, quid tandem sit in qua sola volun-
tantur, materia, quaere quid sit electrica: tot fere
reperies sententias quot sint capita. Et si qui sunt
amantiores veri: « ignoramus » respondebunt. Ignor-
ant, quod profitentur, inter sese in proprio campo
pugnant: in una autem re incredibilem in modum

conspirant: solam sese vidisse materiam, solam igi-
tur esse.

Ex eorum fere numero fuit, qui ante ruinam
Messaniam nefariis verbis terrae motum a Iesu puero
expostulavit. Numquid nunc est obrutus? Nihil iam
ad aures nostras de te perlatum est. Mulierum su-
perstitionem risistis tu et tui similes: mihi crede,
plus adiuvit homines in isto casu eorum supersticio,
quam vos universa vestra naturae cognitio. Sunt
etenim vires in mundo, quibus nullam homunculi
opponent aggerem, quibus vel quarta horae parte
submovetur, quod mille annorum exaedificabatur hu-
manae artis diligentia. Isti « rerum domini », quum
repente terra contremiscit, contremunt: et si quaeris,
cur tremuerit terra, opiniones explicant, certum
nesciunt. Quam vero iucunda vita est eorum, qui ex
legum mundanarum constantia, simplicitate, accura-
tione effectoris sapientiam discunt, admirantur, laude
prosequuntur!



Est mihi propositum breviter ponere, quem ad
modum moveri dicatur terra a nostris geologis: ne
enim credideris raras esse istud genus motiones, quum
binas in die observatores renuntient seismographo,
quem vocant, indice. Non erit quidquam magni, quod
moliar, sed quae pueri a magistris acceperimus simplici
dicendi genere collecta expromam. Et quia definitur
terrae motum: « crustae terrenae percussum », duae
tractatus nostri nascuntur partes: altera, esse crusta-
tam spheraem hanc, quam incolimus; altera quibusnam
causis huius crustae motiones excitentur.

Atque primum hanc terram esse fingimus magnum
globum atque compactum, animalium sedem praeci-
puam, quem summum partim aqua videmus esse con-
tectum. Geologorum autem plurimorum sententia est,
hanc solidam terram quodammodo supernatare vapo-
ribus gasibusque externa crusta inclusis. Et vere ita
se hoc habere vario confirmare nituntur arguento,
et nescio an tibi quoque propositis rationibus, ut
assentire, persuadeant; ita enim omnia ex suis
assumptionibus ad oculos demonstrant, ut facile con-
fitearis nihil posse inde deduci veri similius.

Quo enim altius terram fodis, eo maiorem in ea
calorem invenis. Hoc repertum est in omnibus fo-
dinis, quarum altissima ad duo chilometra accedit;
hoc vel apertissime perceptum est in eo cuniculo,
quem ad viam ferream per Gothardum montem caedi
fuit necesse. Omnia autem, quae erant diligentissime
explorata atque subducta effecerunt, ut, quum cen-
tena metra descenderis, ternos gradus ad calores
accessisse sentias. Qui si deinceps ita progrediuntur
(neque enim videre possumus cur repente desinat
progressio, quum sensibus iam capere non possimus),
trecentos gradus invenies ad altitudinem decem chi-

lometrum, sexcentos ad chilometra viginti, ubi lapides candentes videbis; ad quadraginta vero chilometra, quum sint gradus mille ducenti, fusile ferrum erit, et ita ad liquentem vapoream terrae materiam perveniemus; omnia enim corpora calore et pressu solvuntur. Haec igitur ratio duxit geologos in hanc sententiam: rigidam terrae crustam post centum fere chilometra esse liquatam.

Si hoc solum obtenderent liquentis terrae argumentum, ecquid responderes? Num conclusionis apertiores vitium? Aliis tamen maximeque perspicuis indicis opinionem reddunt probabilem. Frustra enim temptatum est, aliter explicare ignis fusilumque lapidum eruptiones, quam quod intus sit quasi focus quidam, id quod omnibus temporibus credebatur.

Quid? quod perpetuo lapsu ac frequenti ruptione externa terrae pars quasi rugis obducitur, quid aliud causae esse putabimus, quam quod minuta vaporis frigescens copia frangatur vigens terrae crista et in altum elevetur? Quod, si quale sit, quaeris, primum turgidam aere pilam gummeam molli limo circumline, deinde aera ex pila leniter exhausti. Frangetur limus glebularumque nascentium obliquitates similitudinem referent earum crustae terrenae partium quae, ut antea commemoravi, a geologis dicuntur super inclusos terrae vapores metallo gravissimos quasi rates natare. Postquam enim vaporum copia minuta est frigore, quum crusta eandem retineat magnitudinem, necessario proprio pondere erupta est atque erecta; erectam terrae crustam dicimus montem. Haec est probabilis explicatio totius montium catenae, quae a Pyrenaeis nata ad extremam Asiam perducitur per Alpes, quos excipit Caucasus; hunc sequuntur Asiae minoris montes, deinde Himalaia, postremo Birmae catenae.

Iam satis rettuli quae de crustato terrae liquore feruntur, id nunc addam quod cum hac ratione mirabiliter concinat Cantii et Laplacii de origine mundi doctrina, quam omnes fere geologi amplectuntur. Hanc terram fuisse olim partem ingentis globi gasei velocissima versatione rotantis. Accidisse postea, quod in omnibus sphaeris rotantibus animum advertimus, ut eae partes, quae maxime ab axi distant vehementiore aliqua vi, quam centrifugam dicunt physici, ab eo auferantur, ut a globo partes sint electae, quas nunc dicimus planetas, ex quibus unam esse terram. Retinuisse planetas acceptam rotationem atque adeo novas partes fudisse, quae lunae nomen acceperunt, in mundi spatiu vastissimum, quo scilicet aliorum corporum caelestium atrahendi vis progreedi passa sit. Hanc igitur esse originem eius lunae, quam terrae videamus proximam. Porro huic esse obductum corticem paullatim densandum, postea fractum atque elatum eo prorsus modo quo geologi, ut supra est expositum, opinentur.

Scrib. Modling ad Vindobonam.

ANDREAS HABERL.



Vides ergo crustatam esse terram; huiuscem crustae percussionem dicunt esse motum terrae. Dicendum ergo mihi iam est, quomodo motiones excitentur. Numerantur causae tres: ignis eruptio, terrae crustae tum ruina tum in alium locum translatio.

Antequam ignis et fumus evomuntur, saepe audiuntur tonitrua strepitusque subterranei. Tum summa vi expelluntur in aethera, ut anno MDCCLXXXIII in eruptione Krakatau ad undecim, et quum summa fuit concussio, ad triginta chilometra. Haec tanta vis corruptam crustam tollit, sublata recedit, ut iterum surget, dum tranquillitas in imo motionis foco vel hypocentro restituitur. Hypocentrum dicitur locus, in quo causa motus in superficie terrae propior.

Deinde ruinae terrestres causae saepe sunt excitantes terram. Magna enim inveniuntur sub montium quasi corrugatione cava, magnas subterranea aqua eluit foveas, quae repente recentes terrae corticem deprimit ut redeundo pergit nutare.

Denique crustae translatio causa est motus. Illa ex multis partibus constat, quae modo levantur, modo subsidunt, modo ad latera feruntur suoque tundunt appulsu proximam partem leviter tremebundam. Magna autem vi quotientur huiusmodi glebae, si media aliqua pars decidens utrumque appellit. Id factum esse constat anno MDCCXC in Iaponia, ubi totum apud vicum Midori solum ad sex metra repente subiens terram ita permovit, ut hominum millia septem et trecenti interierint.

Iam unde terrae motus oriatur dixi, qualis sit ut iungam: aut succutitur crista, aut in undas agitur. Successus tum est vehementior tum periculosior. Riobambae in urbe Americana anno MDCCXCVII tantus fuit impetus, ut vel mortuorum ossa ex tumulis iactarentur. Anno vero MDCCCLXXXIII in Calabria montium apices exsiliebant. Undante terra, turrium campanae per se saepe dedere sonum. Varia est undarum velocitas, quae generatim aequat soni velocitatem. Postremo magnae regiones solent uno cieri motu; et si prope mare est hypocentrum vel sub mari, non raro vehementissimae aquae spumae gignuntur tantaeque undae, ut per omnia maria aliquoties pererrant; non raro insulae aliae merguntur, aliae emergunt, ut continent terrae mutatione immutabilia Dei praecincta cogitemus. Quid, quaeso, a recenti ruina Messanae discimus, nisi admirandam Dei gubernationem, qui generis licentiam humani naturae calamitate ita domat et eludit, ut suae semper imbecillitatis sibi conscientum rectum ad se iter consecetur?

Scrib. Modling ad Vindobonam.

PONTIFICII COLLEGII ARMENIORUM DE URBE XXV ANNIVERSARIA DIES

Romae, in hoc bonarum artium atque humanitatis domicilio, quo circa Petri solium iuvenes optimae spei ex quavis orbis terrarum parte afflunt, ut inde supernae lucis radios effundant, post occidentalium nationum fastos dies, quos mensis Decembri superioris anni in fasciculo recolimus, orientis quoque sollemnia adnotare iuvat; Armeniorum dicimus collegii XXV anniversarium celebratum.

Leo enim PP. XIII per litteras in forma *brevis*, kal. Mart. an. MDCCCLXXXIII datas, in Urbe condidit clericis Armeniae catholicae seminarium, qui fidei adsertores inter suos populos fierent; eiusque procriptionem Antonio Hassun Purpurato Patri, sanctissimo viro, commisit, qui sub eiusdem anni finem rem ad exitum fauste ac feliciter perduxit, locumque ad S. Nicolai Tolentinatis templum constituit.

Mirum atque auspicatissimum contigit quod argenteum quod vocant collegii iubilaeum cum aureo Summi Pontificis sacerdotali iubilao sociaretur: haec profecto illorum sollemnium tum religiosorum tum civilium directio; eademque carminis ad rem a studiosissimo collegii nunc rectore compositum, quod libenti animo vulgamus.

Nolite timere, ego vici mundum.

Quid mors neces, eheu! artibus hosticis
Crudelior contendit in integros?

Non iam crucis mucrone Christus
Abdidit in nemus inferorum?

Quid turpibus saeva impietatis
Impensa libertas, vitiis, nefas!

In sacra, virtutes in omnes
Irruit, impetit atque saevit?

Ars inquieti perfida saeculi
Et fulminantis tetra Erebi manus
Christi fideles impudenter

Insequitur, ferit in ruinam!

Hac arte morum luxurie pudor,
Hac arte verum mendacio ruit,

Sedique Sanetae tetra sedes
Substituenda paratur orco!

Christi haec fides Petro data Principi?...

Si cuncta consurgens Erebi domus

Contra fidem intentet furorem

Impavidam ferient tyranni?

Audite; sortem christiadum ratam
Sancit, thronum qui constitut crucem:

Vos gentium raptabit ardor,
Vos quatet ira velut rebelles;

In vos per omnem orbem crucis invidens
Victoriae, plebs impia, Golgothae,
Crudele! fortunam novabit,
Clade iterata, iterato erynni!

Artes tamen ne prava iubentium
Vos terreant, succedit iam cruci
Mecum, nam ego mundum subegi,
Me voluit mori et ipse vivo!

Haec dixit Is, qui magna pati prior
Ipsa in cruce insons edocuit mori;
Hac lege substernit Redemptor
Christiadis aditum in triumphum.

Bis dena cedunt saecula, cernitis?
Bis dena crux infligitur in fidem,
Ornata bis denis resurgit

Splendida Relligio trophyae!

Et nunc Pio regnante, videtis?, heu!
Instant quot horrendae facies minis!

Hostes quot e nobis profecti!

Perfida quae manus impiorum!

Quae parta crebris seditionibus
Et bella, quae instant, quaeque futura sunt,
Tormenta quae inviso parantur
Christiadum generi timenda!

At nunc Pio regnante videte, io!
Nobis detur quae cernere laeta, io!
Bello fremente instant triumphi,
Et crucis opprobrio nitores!

Annis gravis, curis gravior Pius
Innixus en arcu fidei potens
Plaudente cuncto victor orbe
Iubila Christiadis reportat.

Ex quo litavit sacra Deo prius,
Annus redit quintus decies Ducis
Summo, inde totus commovetur
Orbis et ipsa fides triumphat!

Dux Magne Salve, Religio tua
Virtute firmata, hostibus obrutis
Extendat oras et resurgat
Te, quoties inimici obibunt!

Christi haec fides Petro data Principi:
Si cuncta consurgens Erebi domus
Contra fidem intentet furorem
Impavidam ferient tyranni!

JOANNES NASLIAN.

Ex Brasilia

De Brasiliensium civitatum omnium artium recensione
Fluminis Ianuarii ad urbem

Antequam totius Reipublicae Brasiliensis habita-
nuper, prout vulgo nuncupant, expositionis ad S. Se-
bastianum Fluminis Ianuarii brevem recensionem ag-
grediar, circa hanc magnam Americae nostrae civi-
tatem aliquid praelibare liceat, ex quo magis magis-
que eluceat omnibusque compertum sit, quae sint
eius, non iam bona naturae, quae omnia recensere
nobis impossibile est, sed mirabiles eius progressus
omnibus in artibus sive liberalibus sive ad indus-
triam pertinentibus brevi tempore comparati.

Iam age, trecentos abhinc annos ex quo (MCDXCII)
Christophorus ille Columbus Americae litora pede
primus signavit, Respublica Brasiliana summam sub
Caesarea gubernii forma libertatem obtinebat ad an-
num MDCCXXII; eaque deinde perduravit annos se-
xaginta, usque dum anno MDCCCLXXXIX in liberae ci-
vitatis forma est constituta; quare dicenda est natio
Brasiliana nondum vitam unius duxisse saeculi.



Atqui occasionem dedit huic « Nationali Exposi-
tioni » saecularis recordatio, quo primum liber in
Brasilianos portus omnibus nationibus aditus est con-
cessus; potestas nempe a Caesare Lusitano, tempo-
ribus illis in eadem degente Brasilia, facta, univer-



Aditus ad « Expositionem Nationalem » Brasiliensem.

salem agendi mercaturam. Hinc ad alia in Brasilia
divertere negotia.

Praesul nunc Reipublicae, excellentissimus vir Al-
fonso Penna, bona indicavit fortuna modum illud
magni momenti factum commemorandi: modus ex-
positionis huius non tantum idoneus, verum etiam
quam proficuus pro totius Reipublicae bono exstitit.

Situs ad rem delectus haud melior esse poterat
ut plura in magno spatio erigerentur tentoria inter
quae digna commemoratione sunt: tentorium status
foederati Fluminis Ianuarii, Sancti Pauli, Bahia, Mi-
nas Geraes; denique tentorium illud, cui nomen fuit
« Manuelino », a brasiliiano gubernio Augusto ac mi-

serando Lusitanorum regi
dono datum, qui participes
fieri debuisset, nisi eius dies
infanda fuissent truncati ma-
nu. Notatu dignum est San-
cti Pauli tentorium in scruti-
nio praemium tulisse votorum
numero quadraginta duorum millium.

In eius constructione tres-
decim millia millium libella-
rum sunt impensa; propte-
reia quod sapienter gubernium ibidem Lycea consti-
tuere decrevit.

Expositionem advenae
innumeris visitarunt, qui vera
iustaque admiratione sunt
capti, quum perpendent
industriam in Brasilia nunc
tam floridam, decem ab-
hinc annos maxime exigua-



« Expositionis Nationalis » Brasiliensem prospectus generalis.

fuisse. Attamen quae pri-
mo loco admiranda occur-
rerunt, profecto soli fructus
fuere: amygdalum
tum cafeiniferum tum a-
marum pingue, gummis
flexibilis, folia nyctiana,
saccharum, gossypium,
lanae diversae, coria, etc.;
deinde notandae res ad
industriam pertinentes et
pulmentaria et omnium
generum bellaria, medica-
menta, et similia; denique
quod artes liberales
spectat, quarum unicuique
propria sedes; musicae
praesertim, ubi plura
instrumenta, quae, tactis
chordis ligneo malleo,
sonos emitunt, quae, in-
quam, ibidem praeter so-
las chordas conficiuntur.

De pictura animadvertere tantum sit exhibitas fuisse
tabulas quasdam a Carolo ipso Lusitanorum rege
pictas ac Brasilianae Reipublicae donatas.



Tentoria civitatum Minas-Geraes, Sancti Pauli et Bahiae
in « Expositione Nationali » Brasiliensi.

COLLOQUIA LATINA

Colloquium in schola ⁽¹⁾.

GEORGIUS. — Oho Thoma, iam ulciscar me. Frequenter
abs te accusatus, paria reponam.

THOMAS. — Aliquoties accusavi te; non eo inficias;
saepius vero, nego.

G. — Quare autem vel aliquoties?

T. — Quod commerueras, et mihi quoque non plus
est parsu ab aliis.

G. — Nunquam te laesi.

T. — Imo reum fecisti.

G. — Nunquam.

T. — Quid est porro quod me cogitas accusare?
Quid culpae contraxi?

G. — Scannum cultello scriptorio concindis, quod
prohibuit praceptor; et nomina nostra incidis,
quod gravius; eaque de re flagris alios accepit.

T. — Oro te, tace: cera complebo sulcos illos, aut
radam lignum, ne appareant literae.

G. — Hui consilium callidum! Quid dabis in loco
mercedis?


T. — Submisse, ne audiat magister... Pulcherrimum
de globulis meis.

G. — An tulisti tecum?


T. — Non omnes.

G. — Quot habes?

T. — Septem.



Lusitaniae tentorium
in « Expositione Nationali » Brasiliensi.



(1) EX IACOPO POSTANI opere cuius titulus: *Prognosticata latinitatis, passim retractavit I. F.*

- G. — Monstra, si placet.
 T. — En.
 G. — Sunt elegantes. Facisne mihi copiam eligendi quem praecipue probavero?
 T. — Facio.
 G. — Hunc eligo.
 T. — Istum eligeres: meo enim iudicio relinquit alterum praestantia.
 G. — Non tam aptus est ad manum meam propter magnitudinem.
 T. — Ergo istum, paullo minorem.
 G. — Sine, tentem... Nimirum parvus est.
 T. — Retinebis igitur quem primum omnium sum pseras.
 G. — Ita faciam. Quam venuste nigro alboque distinctus venulas quasdam ostentat! Emistine, an lucro acquisisti?
 T. — Lucro.
 G. — A quo?
 T. — A Leonardo, nostri vicini filio, quocum per saepe ludo.
 G. — Si tam scite factis abundat globulis, provocabo illum ego similiter ad certamen.
 T. — Vix aliquando vincitur: peritissimus enim huius scientiae puer est.
 G. — Et me lusorum non ultimum esse cognoscet. Atat, comprimamus orationem: praceptor de cathedra descendit... Ne confabulantes nos inventiat et ad poenam vocet! Profecto haud inultum abest a nobis infortunium...

PAROEMIAE SIVE ADAGIA

Laureum baculum gestare.

Suidas tradit, ita solere loqui eos, qui essent ab aliquibus insidiis appetiti feliciterque periculum effugissent. Propterea quod laurus credita est adversus venena remedium habere. Plinius (lib. XV) demonstrat laurum lustrationibus adhiberi solitam. Videbatur et adversus fulmen huius vis tueri, quandoquidem arborum una non iceretur fulmine. Id adeo verum creditit Caesar Tiberius, ut nunquam non gestaret capite coronam lauream, ut in ipsis vita prodidit Suetonius.

Graviora Sambico pati.

In eos, qui cruciatibus exquisitis torquentur, aut quibus insignia mala accident. Proverbiū Plutarclius refert, atque huinsmodi quandam afferit causam. Sambicus quispiam Eleus una cum sociis aliquot non

paucas apud Olympiam aeneas statuas concidit vendiditque. Deinde maiora etiam ausus, Dianaē praesidis templum diripuit. Est enim illius in Elide templum, quod Aristarcheum nominant. At ille mox comprehensus, dum socios prodere recusat, annum perpetuum exquisitis cruciatibus dilaceratus est, inter quos animam efflavit. Atque inde vulgo nata paroemia.

FORFEX.

ACTA PONTIFICIA

Per litteras Apostolicas in *Acta Apostolicae Sedis* (an. I, num. 3-4) relatas,

- a) Dioecesis Neo-Westmonasteriensis in archidioecesim erigitur Vancouverensem denominandam;
- b) Novus Vicariatus Apostolicus in Canada erigitur «De Temiskamingue» nuncupandus;
- c) Dioecesis Rockfordiensis in Civitatibus Foederatis Americae Septemtrionalis conditur;
- d) Ecclesia S. Laurentii in Lucina de Urbe evehitur ad Basilicae Minoris dignitatem.

EX SS. CONGREGATIONIBUS ROMANIS
SENTENTIAE NOVISSIMAE SELECTAE

Ex Congregatione Consistoriali.

Vicariatus Apostolici, qui tanquam suffraganei pertinent ad provincias ecclesiasticas a iurisdictione Congregationis de Propaganda, vi Constitutionis *Sapienti Consilio* exemptas, iugiter subsunt eidem Congregatione de Propaganda dum ita permanent. Expedit tamen ut S. Congregatio de Propaganda, quamprimum fieri possit, memoratos Vicariatus erigat in dioeceses, eosque proinde deducat ad ius censuerunt: Exceptis causis dispensationis super matrimonio rato, quas S. Congregatio de Sacramentis potest iure proprio remittere ad S. Rotam, ut de facto in consummationis videat, negative ad primam partem; affirmative ad secundam, cauto ut in commissionis rescripto normae praefiantur quibus processus, si deficiat, instruator.

Congregatio de Propaganda ob peculiaria adjuncta Moderatorum dioecesum et missionum in longinquis regionibus Indiarum, Tonkini, Sinarum, Iaponiae, Australiae, Oceaniae aliisque huiusmodi, etiam in posterum concedere potest Episcopis, Vicariis Apostolicis, Praefectis vel Moderatoriis missionum *formulas* facultatum, quarum plures matrimonium respiciunt, ne tamen agitata et composita cum S. Congregatione de Sacramentis. Eadem Congregatio quoad sibi subditos adhuc tribuere valeat titulum *Missionarii Apostolici ad honorem*, addita solita facultatum *formula*.

Quam S. Congregatio de Propaganda teneatur deferre ad S. Congregationem Rituum «quaecumque attingunt sacrorum rituum disciplinam», praescriptum hoc respicit rituum disciplinam prout ipsa determinatur ac circumscribitur a Constitutione *Sapienti consilio*; non extenditur quoque ad facultates Missam, divinum Officium aliaque spectantes, quas ante largiri consueverat sive Congregatio Rituum, sive etiam Congregatio de Propaganda.

Congregatio de Propaganda deferre debet ad Congregationem de Religiosis etiam quidquid attingat congregations missionarias tum virorum quum mulierum, quarum constitutions a Congregatione de Propaganda approbatae fuerunt.

Congregatio pro Negotiis rituum orientalium valet etiam in posterum concedere dispensationes matrimoniales mixtas religionis ac disparitatis cultus, excepto tantummodo privilegio Paulino, quod pertinet ad Congregationem S. Officij.

Acta Conciliorum, quae celebrari contigerint in territorio Congregationis de Propaganda relicto non remittenda sunt ad Congregationem Concilii.

caeli tempore paschali, vel canticum Magnificat per anni decursum, sacerdos celebrans et ministri stare debent, non manere genuflexi. (Ex decr. d. vi mens. Novembr. MCMVIII).

— In defectu olei tolerari potest ac remittendum est prudenter. Episcopi ut lampades, que ardere debent ante altare et tabernaculum, in quo asservatur Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum, nutriri possint ex cera apum, saltem in maxima parte, quae adhibetur in candelis praescriptis ad Missae celebrationem. (Ex decr. d. xxvii mens. Novembr. MCMVIII).

— Quo tutius plenisque possit obtineri in sacra liturgia etiam quoad cantum optanda uniformitas, statutum est, ut, in iis etiam quae ad singula ecclesiarum Propria pertinent, eidem Officio vel Missae eadem regulariter adoptetur melodia, ac proinde ut ante approbationem a Sacra Rituum Congregatione rite petendam, iisdem revisoribus cuncta subiiciantur, quatenus illi testari possint non tantum de servatis artis gregoriana regulis, sed etiam de constanti melodiarum ea quae requirunt unitate. (Ex decr. d. xxvii mens. Novembr. MCMVIII).

— Instaurato, ad pristina gerenda munera, tribunali Sacrae Rotae Romanae, ac proinde revocatis peculiaribus dispositionibus, quibus demandatum fuerat Rhis Praelatis Auditoribus officium discontiendi ac iudicandi, in comitiis sacrorum Rituum Congregationis ordinariis Rotalibus, causas minoris momenti Servorum Dei, nempe de fama sanctitatis in genere, de non cultu, de validitate ac revelantia processuum aliasque similes, ad easdem causas pertractandas Congregationem particularem SSinus constituit, quam constare voluit ex aliquo Rhis ac Rhis Patribus sacris tuendis Ritibus praepositis, nempe Praefecto, Ponente, aliquis quinque a Sacra Rituum Congregatione designandis, nec non ex Rhis Praelatis officialibus ipsius Sacrae Congregationis, nempe Protonotario Apostolico, Secretario, Promotore fidei, ac Subpromotore. (Ex decr. d. ix mens. Decembr. MCMVIII).

— Per omnes fere regiones Statuum foederatorum Americae Septemtrionalis, nomine chori designatur sollemmodo quidam coetus paucorum cantorum tum foeminarum quum virorum, qui seliguntur ad officium textus liturgici intra Missas solemnes cantandi. Hic chorus, seu coetus virorum ac mulierum, seu puellarum, in loco eius soli usui destinato extra cancellos, immo plerumque longissime ab altari positionis est, nec aliis habetur chorus qui textus liturgicos cantet vel recitet. Hinc quaesum est, utrum ratione habita decreti de cantu mulierum in ecclesiis, quo concessum fuit ut intra christifideles viri et pueri, quantum fieri potest, suam partem divinis laudibus concelebrant, haud exclusis tamen, maxime ipsum defectu, mulieribus et pueris, talem chorum seu coetum virorum ac mulierum supra descriptum, in loco ab altari remotissimo positum, et chorii liturgici fungentem officio, posthac adhibere licet. Responsum est: Prout exponitur, negative et ad mentem. Mens autem est ut viri a mulieribus et pueris omnino sint separati, vitio quolibet inconvenienti et onerata super his Ordinariorū conscientia. (Ex decr. d. xviii mens. Decembr. MCMVIII).

Ex Congregatione de Sacramentis.

Inuxa tenorem formularum Sacrae Congregationis de disciplina Sacramentorum, in concessione dispensationum ab impedimentis matrimonialibus ex causis dishonestis intelligi non debet tacite concessa Ordinario etiam facultas declarandi legitimam prolem susceptam ante executionem dispensationis et celebrationem matrimonii; sed requiritur ut prolixi legitimatio ab orationibus petatur eaque in rescripto concedatur. (Ex decr. d. xxix mens. Ianuarii MCMIX).

Ex Congregatione Rituum.

— In functione quae coram Sanctissimo Eucharistiae Sacramento publice exposito peragitur, dum, ante hymnum *Tantum ergo cantantur alii hymni, vel antiphona Regina*

DIARIUM VATICANUM

(Die xxi mens. Ian. - d. xx mens. Febr. MDCCCCIX)

Coram SSmo admissiones.

Praeter Purpuratos Patres, Urbanos Antistites aliosque viros, qui sui quisque munera gratia Pontificem de more adiverunt, peculiari nota digni sunt iuxta admissionis diem: Ildebrandus de Hemptinne, O. S. B. primus Abas cum moderatoribus atque alumnis tum Collegii S. Anselmi, tum Collegii Graecorum de Urbe; Anglicum et Beda Urbanum Collegium; Fratrum S. Vincentii de Paulo rector generalis cum consilio Congregationis sua, Fulcranus Gregorius Vigouroux e Congregatione S. Sulpitii et Laurentius Ianssens O. S. B. a Secretis Pontificis Commissionis pro Biblicis studiis; Bernardus Blumenstihl Comes, Pontificiarum cohortium quondam praefectus cum centurionum manu; Caesar Caterini Comes; Thomas Kennedy, episcopus tit. Adriano-politannus, Rector urbani Collegii Civitatum Foederatarum Americae Septentrionalis; Franciscus Heiner doctor, S. Romanae Rotae Auditor; O' Riordan doctor, rector urbani Collegii Hibernorum; Stephanus Ehses doctor; Robertus Fraser, rector urbani Collegii Scotorum coram adducens Ralph Kerr, peditum magistrum, atque Walter Kerr, classis praefectum; Iulius de Wagner Comes, Legatus extraordinarius atque minister cum omni potestate Monacensis principatus apud Apostolicam Sedem; Iacobus de Ojeda y Brooke, a secretis Hispanicae legationis apud Apostolicam Sedem a munere recedens; Camillus Rospigliosi, Princeps Urbanus, praefectus pontificiae cohortis nobilium stipatorum; Michael Moroni Comes; manus nautarum Americanae navis *Celtic*, qui auxilium Rheginis atque Messanensis terrae motu afflitis praebnere; De Grova Comes, Hispanici regis a secretis; Henricus XIX e principibus Reuss; Vives, militum praefectus Hispanus cum Kindelom duce; Schönberg Roth Schönberg dynasta; Blancas doctor, Argentinae civitatis minister apud Apostolicam Sedem.

Pontificiae electiones.

R. v. Adam Borghini, episcopus tit. Carpatien. eligitur atque in auxilium archiepiscopi Ferrarensi itemque administrator apostolicus Clomachensis diocesis deputatur.

— Henricus Aloisius Odelin, Vicarius Generalis Parisiensis, et Henricus Debout, canonicus Anisolanus, inter Antistites domus Pontificalis referuntur.

— Purpuratus Pater Sebastianus Martinelli Praefectus Sacrorum Rituum Congregationis dicitur.

— RR. vv. Fridericus Cattani et Iosephus Mori inter S. Romanae Rotae auditores cooptantur.

— R. v. Michael Angelus Bovieri, Lusitanae Apostolicae legationis auditor, alter a secretis creatur S. Congregationis Concilii.

Vita functi viri clariores.

Die IIII mens. Februario, Romae, Purpuratus Pater *Sraphinus Cretoni*, Sacrorum Rituum Congregationis Praefectus, in oppido Soriano diocesis Hortanae natus d. IVI mens. Septembbris MDCCCXXXIII, in Sacrum Senatum cooptatus d. XXII mens. Iunii MDCCXCVI.



ANNALES

Balkanica res.

Dies Februarii mensis plerique inter tractationes de Balkanica re transegerunt. Turcarum enim administris cum Austrorum legato agendi certam rationem convenerunt, quae Vindobonam missa, quum diutius quam crederetur moras traheret, causa fuit ut Serbi apud cives suos legatorum munere in Turcico coetu fungentes, eius reiectionem acriter sollicitarent. Inde etiam occasionem Bulgari cooperunt ad Turcarum fines mittendi exercitus, dum interim Russi ad nationes Berolinensi foederi accedentes litterasmittuntum ad pacis proposita ab omnibus confirmanda, tum ad modum offerendum quo per pecuniam diuturnae controversiae finis tandem imponeretur. Russi enim se remissuros Turcis spondebant compensationis partem sibi adhuc ab iisdem debita, quorum Bulgari in locum essent sufficiendi per peculiaria pacta inter ipsos Russos atque Bulgarios statuenda. Haec vero substituo a Turcis — et cum dignitate quidem reiecta est, licet pecuniam a Russis propositam ratam habuerint.

Haec dum geruntur, ecce ex improviso necopinatus intervenit eventus: nuntius scilicet Ferdinandum, Bulgarorum principem, regio honore Petropoli in urbe iri acceptum, quam urbem petebat ut iustis funebris Vladimiri, Caesaris patrii, vita functi, interesset; quo facto Bulgariae libertas haud dubie recognoscetur. Inde novae Serborum irae eo usque perductae, ut imminentis belli rumores in dies augeant. Et res certe periculorum plena appetit.

Germanorum feriae.

Germanorum populus quinquagesimum Gulielmi, imperatoris sui, vitae annum feliciter expletum magno cum animi gaudio salutavit, planeque ostendit, contra ea quae passim postremis temporibus dictitata sunt, sese arctissimis vinculis cum rege esse adstrictum. Huiusmodi autem significaciones et adclamations multitudinis paucos post dies iteratae sunt, quum Eduardus, Anglorum rex, eiusque uxor Berolinum tenuerunt; quae quidem visitatio non dubium inter gentes duas amicitiae indicium palam ostendit.

Persarum seditio.

Persarum seditio gravior in dies fit. Rebelles enim ipsius regis fratrem comprehendenterunt. Russicum autem Anglicumque gubernium ad moderationis consilia actionem suam adhuc praefiniunt, quum tamen concessionem nullam de liberali constitutione renovanda obtinuerint. Rex enim sese inde sua vitae thronoque timere affirmat.

Mauritana res.

Quies contra in Mauritania, ubi Mulay Afid iterum iterum protestatur, officia a fratre in Algecirensi foedere erga exterbas gentes assumpta sese ad unguem servaturum.

PUBLICI PER ORBEM COETUS
LEGIBUS FERENDIS

In **Anglia** coetus sessiones regali oratione resumptae.

In **Austria** ob notam quaestionem de Bohemica civitate coetus sessiones intermissae. Administratorum collegio Bienerth doctor praepositus.

In **Belgica** de Antuerpiae portu muniendo cautum.

In **Borussia** socialistarum rogationes legis ad ius suffragii amplificandum reiectae sunt.

In **Gallia** de redditum vectigalibus quaestio adhuc agitur.

In **Hispania** lex de municipiis renovandis tandem rata habita.

In **Iaponia** rationes accepti et expensi et rogatio legis ad exercitum reducendum adprobata.

In **Italia** publicus legatorum coetus dimissus; ad diem VII proximi mensis Martii nova comitia indicta.

In **Russia** acriter in administros disceptatur.

In **Turcarum imperio** administratorum primus Kiamil Pacha a munere abdicavit; in eius locum Hilmi Hussein Pacha suffectus.

PER ORBEM

Die XXI mens. Ianuarii MDCCCCIX incendium vehementissimum in constructione aqueductus Magni Lacus ad Chicaginem exoritur.

— d. XXII Italorum pyroscapha cui nomen *Florida* in Americas e terrae motu superstites fere nongentos transferens, in medio oceano Atlantico ob densissimas nebulas in Anglicam navem *Republic* impetum facit, eamque submergit. Qui tamen Marconiano telegrapho praepositus erat, Bins cognomine, pro sua virtute animi securitatem non deserens, efficit ut auxilia aliarum navium a se petita opportune adveniant. Ita omnes fere viatores sospites evadunt.

— d. XXIV Monachii in Bavaria aereoplanorum certamen magni momenti habetur.

— d. XXVII Pont-aux-Dames, Gallico in oppido, improviso fato corripitur Coquelin ille, qui, cognomine « maior », magnam scenici famam apud omnes populos sibi comparavit.

— d. XXVIII Poicaré, quondam Gallorum minister, inter Parisienses academicos adnumeratur loco vita functi Sully Prudhomme.

— d. XXIX Gomez dux, Cubanae rei publicae novus praeses, officium suum ingreditur.

Die II mens. Februarii Kuni princeps, Iaponiorum imperatoris filius, Romam tenet.

Lugduni Antonii Tollet pictoris officina ignis praeda fit; plura artis monumenta inde pereunt.

— d. III coetus ad Anglicarum coloniarum in australi Africa unionem promovendam statuit ut Capetown urbs publici coetus legibus ferendis sedes fiat; gubernii autem Praetoria.

— d. IV Caracas in urbe inter Germanorum administratorum et Venezuelanum exterorum negotiorum praeisdem amicitiae, commercii atque navigationis foedus icitur.

— d. VIII Lutetiae Parisiorum moritur Coquelin alter, cognomine « minor », scenicus et ipse peritus simus.

Apud Sancti Germani stationem Parisiensem vaporitraha infractus misere invenitur Catullus Mendés, Gallorum poeta insignis, quamquam obscoenus saepe.

— d. IX Anglorum rex et regina Berolinum tenent.

— d. X Retch in Perside factiosi homines rebellionem excitant, gubernatore aliisque magistratibus necatis.

— d. XI Madriti incendium in celeberrimis illis aedibus, quibus *Escurial* nomen, exortum, Eremitarum S. Augustini pretiosissimam bibliothecam in cinerem vertit.

— d. XIII in superiore Italia coacervatae nives ex montibus delapsae ingentia damna procurant.

Hispaniae et Lusitaniae reges Villae Veciosae in oppido amicum colloquium habent.

— d. XIV Acapulci Mexicana in urbe dum scenici ludus in theatro aguntur, incendium necopinato producit, in quo spectatores ad trecentorum circiter numerum horrendam mortem obeunt.

— d. XVII West-Stanley Anglicae provinciae Durham ad oppidum, dum cuniculari carboniferae fodinae suis operibus intendunt, per fragorem incensi *gaz-grisou* infelici sorte sepeluntur.

— d. XVIII Petropoli in urbe supremum obit diem Vladimirus Alexandrovic magnus dux, Russorum Caesaris patruus.

IOCII

Pigritia plena mulier a viro accepta, verberibus quum clamaret indigne se verberari quandoquidem nihil faceret, caussaque ab eo quaereret: « Ob id ipsum — inquit ille — te verbero, quia nihil facis ».

Quum capitalis quidam submergendas quondam ducetur, turbaque puerorum, ut consuevit, praecurreret occupandi loci causa ad spectandum, invicemque antevertente niterentur, conversus ille: - « Haud properato opus est, filii - inquit -; lentius itote. Quamquam enim ego tardius incedo, tamen sine me praesente haec tragœdia non agetur ».

Ingressus est quidam cauponulam ut biberet, potatorum plenam. Allato vino, quum ancillula cauponaria ab eo peteret velletne etiam aquam eidem diluendo: - « Quid isthac opus est aqua? - inquit. - Pro certo enim habeo te ut omnibus nobis vinum tuum satis esset, aquae satis sedulam iam in ipsum infudisse.

Facti sunt obviam inter se agrestes duo, alter albenti pileo eoque grandiore intectus caput, alter nudatis pedibus et plantis. Atque hic quidem e vestigio verbis in illum illatus: - « Quant - inquit - fungulus iste? » pileum videlicet irridens. Ille sublato statim supercilium: - « Quant calceoli isti tui ac denariolo pluris ».

LIBRI RECENS DONO ACCEPTI.

Socios et lectores admonere iuvat, libros recens editos atque ad nos missos ut in Voce Urbis eorum notitia detur, neque hoc ipso a nobis commendari, neque apud administratorem nostrum, nisi contra aperte declaretur, venumdari. Si quis igitur alterum eorum sibi cupiat, petat necesse est ab editore, quem semper indicamus.

Le Livre d'Amos par J. TOUZARD, professeur à l'Institut catholique de Paris. — Vol. I in-16 de la *Bibliothèque de l'Enseignement scripturae*. — Edid. Latetiae Parisiorum Bloud et Soc. (Ven. lib. 3).

Les Livres de Saint Patrice, Apôtre de l'Irlande. Introduction, Traduction et Notes par G. DOTTIN, Professeur à l'Université de Rennes. — Indidem. (Collection *Science et Religion*, série des *Chefs-d'œuvre de la littérature hagiographique*, n. 505).

I Fioretti; les Petites Fleurs de la Vie du Petit Pauvre de Jésus-Christ, Saint François d'Assise. Traduction, Introduction et Notes d'ARNOLD GOFFIN. — Indidem. (Ven. lib. 1,20).

J. M. MEUNIER. **Histoire du nom de lieu "Chaulnes", Canton de La Charité-sur-Loire (Nièvre).** — Niverni edid. G. Vallière. (Ven. lib. 1).

— **Origine du nom de lieu "Saint-Benin-d'Azy" (Nièvre).** — Indidem. (Ven. lib. 1).

— **L'emplacement de "Noviodunum Aeduorum", de César et le nom de Nevers.** — Indidem. (Ven. lib. 1).

— **De l'utilité de la linguistique et de son application à la géographie.** — Indidem. (Ven. lib. 0,50).

— **Deux nouveaux oppida terminés en durum dans la Céltica.** — Indidem. (Ven. lib. 1).

— **La prononciation du Latin.** — Corbigny edid. Charles Sillard. (Ven. lib. 1).

Card. ALFONSO CAPELLO. Perchè le grandi calamità nel mondo e un discorso per i morti di terremoto. — Romae edid. Desclée et Soc. (Ven. lib. 0,50).

FRANTZ FUNK BRENTANO. **La famiglia e lo Stato.** Studio sulla formazione della Società antica e della Società moderna. — Indidem. (Ven. lib. 0,60).

Mons. dott. ANGELO MARCHESAN. **L'opera di S. S. Pio X nel primo lustro del suo pontificato.** — Indidem. (Ven. lib. 0,50).

P. FR. FINN S. I. **Percy Winn.** Racconto americano per i ragazzi. — Indidem. (Ven. lib. 2).

GIULIO BAUDOT O. S. B. **Nozioni generali di Liturgia.** Dalla seconda edizione francese. — Indidem. (Ven. lib. 0,60).

SAC. FRANCESCO DE' FELICE. **Saggi di varia polemica.** (L'« Era nuova » di Giovanni Pascoli — Gaetano Negri e il momento religioso — Per amore di un'ipotesi — I trasformisti sono alchimisti? — Ragione e Scienza per Erberto Spencer). — Indidem. (Ven. lib. 2).

LUSI KARTTUNEN. **Antonio Possevino.** Un diplomatico pontificio au XVI^e siècle. — Indidem. (Ven. lib. 5).

A. M. ROUILLO O. P. **Sant'Elena.** — Indidem. (Ven. lib. 2).

PIETRO SUAU d. C. d. G. S. **Francesco Borgia (1510-1572).**

— Indidem. (Ven. lib. 2).

G. DE PASCAL. **Le indulgenze.** Dottrina e storia. — Indidem. (Ven. lib. 0,60).

CAMILLO DAUX. **L'obolo di S. Pietro.** Origine, ragioni e convenienza. — Indidem. (Ven. lib. 0,60).

DESLANDRES. **Il Concilio di Trento e la riforma del clero cattolico nel XVI secolo.** — Indidem. (Ven. lib. 0,60).

AENIGMATA

I.

Totum est quod res aeternas et nomina reddit;
Pectus totius rebus caudamque caputque
Dat, quin ex alio accipiat caudamque caputque.

II.

Retrorsum vel rite legas me, semper idem sum.

Ex sociis, qui utriusque aenigmatis interpretationem ad Commentarii moderatorem miserint intra menses duos, unus, sortitus, gratis accipiet PETRI ANGELINI opus, cui titulus:

LOLLIUS

SIVE DE PROVECTA LATINITATE

Aenigmata an. XI, n. XII proposita his respondent:

1) Campana; 2) Clavus.

Ea rite soluta miserunt:
Joseph Rainelli, Arona. — Iac. Cordara, Parentio. — F. Arnori, Mediolano. — Vine Starace, Neapol. — Petrus Tergestinus — Lod. Dubois, Massilia. — Alf. Martinez, Badajoz. — Rich. Müller, Berolino.

Sortitus est praemium:
IACOBUS CORDARA,
ad quem missum est opus, cui titulus:

POETARUM LATINORUM EGLOGAE
(EDIDIT BRANDT Lipsiae, ex off. Teubneriana).

Sponsor: IOANNES BAPTISTA CIAMPI, iurisperitus.

ROMAE — Ex officina Pauli, Phil. Cuggiani.

AEGYPTII - CAROLI M. ROSINII Comoedia

Recognovit I. F.

[3]

SCENA III.

Curelio.

Miseret me istorum inopiae, sed multo magis
Miseret ventris mei (1), qui latrat acriter,
Nec ullus est, qui ad coenam vocet; omnes puto
Fame pereunt magis, quam ego: parasitic ars
Decoxit plane. Quid agam? quo vertar miser?
Perii hercle, nisi quas protinus ipse machiner
Astutias, ut argento hominem dívitum
Emungam. Horum autem opera abuti percommódum.
Blepharo, qui has aedes habitat, dives admodum est,
Sed parsimonia aequae insignis, ac sordidus,
Fungus praeterea, et bardus ad miraculum:
Huic os sublinere operis pretium foret.
Sed quo pacto?... (2). Non id tutum est... hoc tutius...
At ecum ipsum (3). O quam venit opportunissimus!
Recedo tantisper, dum tendam retia
Turdo. Bene, spero, cum sociis coenabimus (4).

(1) Ventrem contrectans.
(2) Pronuntiat verba, velut qui suspeso animo se consultit.
(3) Apparet Blepharo.
(4) Secedit Curelio paulisper.

(Pergit in pag. seq.)

DESCLÉE ET SOCII - EDITORES PONTIFICII

ROMAE — Piazza Grazioli, palazzo Doria — ROMAE

(700)

Liber Usualis Missae

pro Dominicis et Festis duplicitibus

cum Cantu Gregoriano

ad exemplar Editionis Vaticanae

concinnatus

et rythmicis signis a Solesmensibus Monachis

diligenter ornatum

Vol. in-18 const. pag. 1086, ven. lib. 3 - Tela coop. lib. 4.

SCENA IV.

Curelio, Blepharo et Stratilax.

Stra. Quid hoc negotii sit, non belle intellego.
Numquid laboras ex intestinis, mi here? (1).
Ble. St, tace. Stra. Taceo... Iamdudum tacitus te sequor.
Da veniam, ut tacitus sedeam. Ble. Ain'tu, verbero?
Herus stat, servus sedet. O facinus! sta illuc!
Stra. Sto. Ble. Scin' qualis nobis dies illuxerit?
Stra. Nebulosus, quantum video. Ble. Non id quaerito.
Stra. Teneo. Dies nonarum est. Ble. Ne id quidem rogo.
Stra. Ecquid malum rogas? Ble. Id scilicet rogo,
Quomodo signatus fuerit in fastis meis.
Stra. Tuis fastis? Ble. Ita; in fastis domesticis.
Stra. Id prorsus ignoro: quomodo signabitur
Meis in fastis, id novi. Ble. Videlicet?...
Stra. Dies morosus, atque incommodeius.
Ble. Ha, ha, ha, ha, lepidus es. Vin' dicam tibi?
Stra. Dic, si lubet. Ble. Hodie natalis est dies,
Divina, dum cuius? Stra. Divinatoriam
Artem nunquam didici. Ble. Miselle, ex me audies.
Stra. Ausculo quid dicas. Ble. Dies natalis est
Papi gnati mei. Stra. Hem! quid audio! tibi
Nunc pupus natus est? Tun' ergo parturis?
Ble. Oh, oh quam stolidus es! Recurrit nunc dies
Eius natalis: hodie explet tertium
Lustrum Cleonymus gnatus dulcissimus.
Stra. Ego quidem non puto? (2). Ble. Cur non putas?

[Stra. Quia

(1) Quasi calce calcem terens heri.
(2) Risum ciendo loquitur.

Nil video, quod tantae laetitiae congruat.
Ble. Nequaquam intellego. Stra. Nunc faxo, intellegas.
Iubes, an non ignem ingentem fieri iubes?
Ble. Ignem ingentem? Stra. Ita dico, nullum nam gaudium
Est, ubi culina friget. Ble. O lepidus vir es!

(Ad proximum numerum).

Epistolarum commercium

Cl. v. L. DON..., Ad rivum Corbuli. — Carmen de quo
quaeris indicium proxime edemus. — Kalendarium, prouti
tibi facile videre est, triennium complectitur.

Cl. v. L. L. POD..., Cracoviae. — Lapsum illum
calami cordatus quisque lector ipse procudubio corredit.

Cl. vv. C. AM..., Albii Intemelii; I. TAS...,
Turnoduri; A. RUD..., Thephelisii; F. SEG...,
Dertusae. — Ad proximum numerum.

Cl. v. I. PONS S. I. — De humanissima diligentia tua
amplissimas gratias referimus. Una cum novorum sociorum
scriptis, et tua ex novo domicilio exspectamus.


Cl. v. F. GU..., Aletii. — Numne a sensibus es alienatus?

Cl. v. V. STAR..., Neapoli. — Sed tamen aetate flores!...


Cl. v. PETRO TERGESTINO. — Argumenta ergo eiusmodi
nihil apud homuncium illum habent momenti?

A SECRETIS.

HOROLOGIUM

ad Roskopfii rationem
in germanicis Officinis fabricatum

sociisque Commentarii Vox Urbis
qui subnotatores novos
acquisiverint duos
praemio constitutum



sociisque singulis Commentarii VOX URBIS uno concessum



CAESARIS TIRATELLI tabula
baptismalem pomparam in Campania referens (metr. 0,60 × 0,40)
sociis omnibus qui novum unum acquisiverint
gratuito donatur.

PROSPECTUS SUBNOTATIONIS

COMMENTARII VOX URBIS IN AN. MDCCCCIX

Pretium annuae subnotationis est in Italia Libell. 6
ubique extra Italiam Libell. 9

(Doll. 1,80; Sh. 7; Mark. 7; Rubl. 4; Coron. 9)
recto tramite mittendum

ad ARISTIDEM LEONORI Equitem

Commentarii "Vox Urbis" possessorem et administratorem

ROMAM, Piazza del Gesù, 48

Praemia sociis constituta:

Ex subnotatoribus quisque

numisma, iubente Centrali Consilio ad
Pii X P. M. Jubilaeum Sacerdotale cele-

Novi subnotatores singuli

braendum expresse cusum et extra commercium habitum, dono accipiet.
præterea Vox Urbis kalendario fruentur,
quod socii, qui iam superioribus annis ha-

buerunt, obtinere simul poterunt, dummodo subnotationis pretio lib. 0,25 ad diribitorii expensas
resarcendas addiderint.

Qui socium novum acquisiverit unum, eiusque subnotationis
serit, gratis accipiet Caesaris Tiratelli tabulam metr. 0,60 × 0,40 a celeberrimo Urbano S. Mi-
chaelis hospitio splendide caelatam, baptismalem pompam in Campania referentem. — Ab hoc
tamen et sequentibus praemiis bibliopole excipiuntur.

Qui socios novos acquisiverit duos ut supra, horologium sibi
habet in Germanicis of-
ficinis ad Roskopfii rationem nobis fabricatum.

Qui socios novos acquisiverit tres eorumque subnotationis pre-
miserit, a pretio suo
solvendo eximetur.

Qui socios novos viginti quinque coegerit ante Iulium
midiatum pretium itineris habebit ab Italiae finibus Romam usque, atque inde in dissectionis
Italicam stationem, secunda, prouti vocant, ferriveharum classi usus.

Qui socios novos coegerit quinquaginta, ut supra, eodem
itineri gratis om-
nino gaudebit.

Franciscus Ciapponi et Soc.

OFFICINA
ANAGLYPTIS, GEMMIS CONCHISQUE
CAELANDIS
PRAESERTIM IN REDDENDIS FIGURIS
PHOTOGRAPHICE EXPRESSIS

Diligentia in opere.

Temperantia in pretio.

ROMAE, Via Sistina, 129

Diversorium magnum, cui a Minerva nomen (^{Grand Hôtel}
^{de la Minerve})

ROMAE, Piazza della Minerva

Diversorium inter optima Romae, in Urbis centro, recens omnino instauratum et commodis omnibus instructum.

— **Sacellum pro Sacerdotibus ad sacra litanda** —

LEOPULDUS SCOTTI, moderator.

SUPELLEX
AD RES DIVINAS

Commentarii Vox Urbis administratio recto tramite suppeditat suppellectilem omnem, qua tum in templis, tum in oratoriis ad res divinas uti solemus.

Mandata ad Vocis Urbis administratorem (Romam, Piazza del Gesù, 48) mittantur, res praecise indicando quae quisque sibi cupit.

Gratuito sumptuum aestimatio fiet.

Gulielmus Gaudenzi

ROMAE

Tor Sanguigna, 2-3 - Via Coronari, 1

cuique suppeditat coronas, numismata, Christi crucifixi effigies, Sanctorum imagines tum insculptas tum omnibus modis impressas, metallis caelata opera ad sacra vel ad reliquias reponendas, pietatis libros, omniaque in Puellarum Mariae usum; pulchrarum artium specimina, musiva, caelatas sculptas gemmas et similis; quorum maximum apparatus possidet.

Gallice atque Hispanice loquitur.

VOX URBIS

DE LITTERIS ET BONIS ARTIBUS COMMENTARIUS

Semel in mense prodit

Premium annuae subnotationis, *ante solvendum*, est:

In Italia: Libellarum 6;

ubique extra Italiam: Lib. 9 (Doll. 1,80; Sh. 7; M. 7; Rubl. 4; Coron. 9)

Cuncta mittantur ad ARISTIDEM LEONORI equitem

Commentarii VOX URBIS possessorem et administratorem

ROMAM - Piazza del Gesù, 48 - **ROMAM**



Subnotatio fieri potest:

IN GALLIA

apud

Librairie Gamber

IN ANGLIA

apud

Burns and Oates

IN RUSSIA

Varsaviae Polonorum

apud

Gebethner et Wolf

Rakowskie Przedmiescie, 15.

IN CANADA

apud

Librairie Granger Frères

Paris

Rue Danton.

London W.

28, Orchard Street.

“Kronika Rodzinna”

Krakowskie Przedmiescie, 6.

Montreal

1089, Rue Notre-Dame.